

fendendi parti adversæ non revelare, eam in dilationes clienti damnosas non protrahere, etc. Unde contra justitiam graviter peccat qui non peritus aut non satis idoneus, v. g., qui facultate loquendi modo ad persuadendum idoneo non est præditus, nihilominus officium advocati suscipit, aut susceptum negligit vel male adimplet.

10<sup>o</sup> Nihil accipere potest ultra justum pretium, scilicet taxatum ubi existit, et si non existat taxatum, iudicio prudentium determinatum, habita ratione negotii, peritiæ advocati, laboris quem impendit et consuetudinis receptæ: quod tale pretium excedit, est injustum, nec permittitur advocato pacisci cum cliente de aliquota rei parte si vincat, ne fraudibus detur locus. Sic cum *Busenbaum*, *La Croix*, *S. Ligorius*, *P. Antoine*, *Ferraris*, etc.

In extrema vel gravi necessitate pauperum, tenetur advocatus ex charitate et sub peccato mortali gratis eis patrocinari, sicut medicus et chirurgus opem eisdem ægrotantibus ferre debent. *Ita omnes.*

FINIS TRACTATUS DE DECALOGO.

## DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

Ex probatis in Tractatibus *de vera Ecclesia* et *de Legibus*, constat Ecclesiam accepisse a Christo potestatem condendi præcepta sub peccato mortali obligantia; constat insuper, ex variis juris canonici partibus, multas hujusmodi leges seu præcepta existere tum respectu fidelium, tum respectu clericorum, tum respectu omnium simul.

Præcepta Ecclesiae generalia clericos et fideles simul obligantia reducuntur ad sex, quæ habent pro objecto festorum sanctificationem, auditionem missæ diebus dominicis, confessionem annualem, communionem paschalem, jejunium Quatuor Temporum, Vigiliarum et Quadragesimæ, ac tandem abstinentiam a carnibus diebus veneris et sabbati.

Sufficienter egimus de auditione missæ ubi de tertio Decalogi præcepto disseruimus, de confessione annuali et communionem paschali in specialibus *de Poenitentia* et *Eucharistia* Tractatibus. Restat igitur ut in triplici capite agamus 1<sup>o</sup> de festorum sanctificatione, 2<sup>o</sup> de jejunio ecclesiastico, et 3<sup>o</sup> de abstinentia a carnibus.

### CAPUT PRIMUM.

#### DE FESTORUM SANCTIFICATIONE.

Hic breviter dicemus 1<sup>o</sup> de potestate instituendi festa, 2<sup>o</sup> de eorum objecto, 3<sup>o</sup> de præcipuorum Ecclesiae festorum numero et institutione, et 4<sup>o</sup> de ritu ea celebrandi.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### DE POTESTATE INSTITUENDI FESTA.

1<sup>o</sup> Nullus catholicus dubitare potest quin sit in Ecclesia

potestas instituendi festa sub peccato mortali obligantia; nam 1° Synagoga in veteri Lege plures sua auctoritate instituit solemnitates in commemorationem quorundam factorum insignium, v. g., festum diebus 13 et 15 mensis *adar* celebrandum in memoriam liberationis Judæorum tempore Mardochei et Esther, Esth. ix, 17 et seq.; festum ob victoriam ab Hebræis, post occisionem Holofernis, in Assyrios reportatam, Judith, xvi, 31, et festum Dedicationis templi post ejus purificationem sub Juda Machabæo, I Machab. iv, 59. Porro Ecclesia eandem saltem habere debet potestatem circa festa quam habuit Synagoga. 2° Cum Ecclesia privilegio infallibilitatis gaudeat, sibi attribuere non potest potestatem quam non haberet: at semper sibi attribuit potestatem instituendi festa, etiam in primis suæ existentiae temporibus; nam, præter dominicam, Pascha et Pentecosten ab ipsis Apostolis instituta, longe ante *S. Aug.*, plura jam existebant festa auctoritate Ecclesiæ statuta, ut ipse ait *S. Doctor* his verbis, *Epist. 54*: « Illa autem quæ » non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto » terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis » Apostolis vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia » saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio, et ascensio » in cælum, et adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur. » 3° Martyres, etiam a primis sæculis, cultu religioso certis diebus honorati sunt ut historia ecclesiastica aperte constat; porro eorum cultus sola auctoritate Ecclesiæ fuerat approbatus et certis diebus assignatus: ergo.

Attamen voluit Ecclesia inter hæc festa, alia observanda esse sub gravi peccato, tum a clero, tum a populo, alia tantum in officio canonico; alia vero simpliciter permisit in variis locis.

2° Papa et concilium generale festum pro universa Ecclesia instituere possunt, quia universalem habent jurisdictionem; episcopus autem, licet propria auctoritate novum condere non valeat officium, saltem ubi receptum est Breviarium Romanum jure communi instituere potest

festum, siquidem habet potestatem leges condendi pro sua diocesi. Hoc supponitur in *Decretal.*, l. 2, tit. 9, c. 5, ubi agitur *de solemnitatibus quas singuli episcopi in suis diocesisibus cum clero et populo duxerint venerandas*. Ex diuturna consuetudine nunc non requiritur consensus populi, sed consensus capituli, ubi festum instituendum a solo capitulo vel per totam diocesim fuerit modo permanente celebrandum. Attamen, ne dies festi nimia facilitate ultra modum multiplicentur, *Urbanus VIII*, const. *Universa*, § 3, episcopos monuit in Domino ut futuris temporibus ab indictione novorum festorum de præcepto abstinerent.

Quamvis ad laicos non pertineat indicare festa religiosa cum obligatione ea sanctificandi, suprema civilis auctoritas tamen, saltem in Gallia, est consulenda, et consensus ejus est exquirendus, tum ad præcavendas turbas in populo, tum quia festum de præcepto retrahit populum a labore et, sub hoc respectu, ad potestatem civilem spectat. Ino *Cong. rit.* definiit, diebus 2 martii 1602 et 21 augusti 1604, nova festa de præcepto servanda institui non posse invito populo, et simul populum qui aliquod festum ab Ecclesia institutum, sed non præceptum, sponte voluerit observare, non esse prohibendum. *Ferraris*, v° *Festa*, n. 10. *Collator Andeg.* advertit, t. 4, p. 282, consensum principis, hodie gubernii, nunc exquiri loco consensus populi.

3° Qui facultatem festa instituendi habent, possunt eo ipso festa a se vel a prædecessoribus suis instituta mutare aut totaliter supprimere. Unde 1° *card. Caprara* optime potuit anno 1802, die 9 aprilis, ex speciali summi Pontificis Pii VII delegatione, omnia festa tunc in Gallis existentia, præter Nativitatem et Ascensionem Domini, Assumptionem beatæ Mariæ Virginis et festum Omnium Sanctorum, supprimere, declarando fideles ex tunc absolutos esse a præceptis audiendi missam, vacandi ab operibus servilibus et jejunandi in diebus dicta festa præcedentibus seu vigiliis, ac statuere quod festa Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. apostolorum Petri et Pauli et SS. patronorum cujuslibet diocesis et parochiæ, dominica proxi-

me occurrente celebrarentur. Patet igitur quam absurde patroni sectæ vulgo dictæ *la petite Église*, talem festorum suppressionem et translationem ut causam separationis suæ allegaverint. 2<sup>o</sup> Episcopi sine dubio suppressere vel transferre possunt festa suis diœcesibus specialia, imo et generalia non principaliora, prout spiritus prudentiæ eis suggesserit. Idem videtur dicendum de festis ex devotione celebratis, saltem in iis diœcesibus in quibus episcopi gaudent jure officium regulandi, ut dictum est in Tractatu *de Ordine*.

Quoad festa universalis Ecclesiæ de præcepto, affirmat *Bened. XIV*, de Canoniz. l. 4, part. 2, cap. 16, n. 11, episcopos nunc jure communi ea reducere non posse, quamvis supponat illos olim potuisse. Nititur const. Urbani VIII *Universa*, in qua dies festi de præcepto exprimuntur. Alii autem contendunt hanc constitutionem non esse ubique receptam. Saltem praxis episcoporum semper fuit in Gallia ut tollere possent obligationem festorum non principalium, quod multis probatur factis in opere dicto *Mémoires du clergé*, t. 5, p. 1278 et seq. relatis, pluribus conciliis provincialibus et synodis, et epistola cardinalis *d'Ossat* ad Henricum IV e Roma die 18 januarii 1599 directa, in qua asserit summum Pontificem a se nomine regis requisitum ut numerum festorum in Gallia reduceret, respondisse hoc ad episcopos pertinere et ipsorum discretioni relinquendum esse. Hoc fundamento innixus Philibertus Emmanuel *de Beaumanoir*, Cenomanensis episcopus, festa S. Jacobi Majoris, S. Mathiæ, S. Bartholomæi, S. Thomæ et feriæ tertiæ post Pentecosten suppressit, præscripto diei 1 decembris 1666. Idem multi alii episcopi fecerunt circa hæc et alia festa, et in primis episcopi provinciæ Turonensis per mandatum commune anni 1780, in quo statuerunt ut festum patroni respectivarum parochiarum ad proximam dominicam transferretur, sicut et festum patroni secundarii diœcesis, ubi existit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

## DE OBJECTO FESTORUM.

De potestate Ecclesiæ circa beatificationem et canonizationem sanctorum diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*; Christum, beatissimam Virginem, sanctos eorumque reliquias ac imagines cultu religioso honorari posse ostendimus in Tractatu *de Incarnatione*.

His positus, certum est Christum Dominum, beatam Virginem Mariam, sanctos solemniter canonizatos ac eorum reliquias authenticas sub variis titulis objecta festorum esse posse, ut praxis universalis Ecclesiæ testatur. Sed abs re non erit pauca dicere 1<sup>o</sup> de conditionibus beatificationis et canonizationis; 2<sup>o</sup> de cultu servus Dei et beatificatis exhibendo; 3<sup>o</sup> de requisitis ut reliquiæ publico cultu venerari possint; 4<sup>o</sup> de variis titulis sub quibus sancti honorari possunt.

## § I. — De conditionibus beatificationis et canonizationis.

1<sup>o</sup> In quadruplici gradu considerari potest sanctus; appellatur primo *servus Dei*, deinde *venerabilis servus Dei*, postea *beatus*, et tandem *sanctus*. 1<sup>o</sup> *Servus Dei*. Quicumque sancte vivit, voce generica appellatur servus Dei, sed in stylo sacræ Cong. rit. ille vocatur servus Dei qui cum laude vitæ decessit et cujus beatificatio postulatur. 2<sup>o</sup> Si, post vitæ discussionem, fama sanctitatis agnoscat, et commissio procedendi ad beatificationem signata fuerit, dicitur *venerabilis*. 3<sup>o</sup> Si, ex novo examine, juxta regulas statutas, de sanctitate ejus adhuc constet, quanquam judicium non sit perfectum, id est, pro quarto gradu, aliud necessarium sit judicium solemne et universali Ecclesiæ proponendum, declaratur et appellatur *beatus*, atque a summo Pontifice conceditur ut cultus publicus ei decernatur in aliquo loco, v. g., in regno, in provincia, in diœcesi, vel in ordine religioso aut familia, etc. 4<sup>o</sup> si expressum concilii generalis vel summi Pontificis interveniat judicium

definiens eum esse *sanctum*, in cœlis gloria coronatum, in Albo seu catalogo sanctorum inscribendum, et totius Ecclesiæ militantis venerationi proponendum, tunc proprie et stricte est canonizatus.

2° Duplex distinguitur beatificatio et canonizatio, formalis scilicet et æquipollens. *Formalis* ea est quæ a summo Pontifice, servata forma judiciali, cum omnibus consuetis processibus circumstantiis, sententia, cæremoniis et solemnitatibus pronuntiatur. *Æquipollens* vero ea est in qua summus Pontifex, post iudicium ordinarii aut delegati, vel etiam, secluso huiusmodi iudicio, ex fama communi virtutum ac miraculorum et cultu immemorabili alicujus servi Dei, pronuntiat; si permittat ut in uno vel in pluribus locis particularibus, aut in ordine religioso vel familia, cultu publico honoretur, est beatificatio; si jubeat eum in universa Ecclesia cultu publico, per officii recitationem et missæ celebrationem, die determinato honorari, est canonizatio. Sic multi coluntur sancti, qui publicæ totius Ecclesiæ venerationi propositi non fuerunt hoc solemnii iudicio quod theologi vocant canonizationem et docent communiter esse infallibile. At nihilominus eorum sanctitas constat, quando Ecclesia, saltem ex majori parte, eorum cultum et officium admisit, quia ipsam in hoc falli repugnat. Aliquando tamen beatificatio ad totam extenditur Ecclesiam, sed per modum simplicis facultatis, non vero per modum præcepti, ut canonizatio. Unde præcipua inter beatificationem et canonizationem differentia in eo præcise consistit quod una per indulgentiam et sine iudicio finali feratur, et altera per definitivam sententiam ad omnes ecclesias directam pronuntietur. *Bened. XIV*, de Beatif. et Canoniz. l. 1, cap. 39, n. 14.

Inde videtur inferri posse eos omnes, quorum officium in Breviario Romano jussu Romani pontificis inseritur, cum præcepto universali illud recitandi, habendos esse ut sanctos, saltem ubi Ecclesia huic præcepto communiter adhæsit. Non vero ita constat veritas factorum particularium, quæ in huiusmodi vel in aliis etiam sanctorum solemniter canonizatorum officiis referuntur; neque pariter

constat sanctitas eorum omnium quorum nomina in Martyrologio Romano inscribuntur, quia nec Romani pontifices, ut ipsi declararunt, nec Ecclesia intendunt hæc definire aut fideles ad hæc credenda obligare, nec ulla videtur repugnantia si in his quidam irreperit error. Vide quæ jam diximus in Tractatu *de vera Ecclesia*.

3° Per multa Ecclesiæ sæcula episcopi, jure suo utentes in suis diocesis, cultum publicum decreverunt et discernere potuerunt, tum erga martyres vindicatos, tum erga confessores approbatos: illa episcopalis sententia a quibusdam dicta est canonizatio, sed ab aliis melius appellatur beatificatio, cum episcopus nihil præcipere possit ultra suæ diocesis limites. Acta martyrum, nomina eorum ac etiam confessorum ad alias sæpe mittebantur ecclesias, in sacris diptychis inscribebantur, et sic eorundem cultus extendebatur. Frequenter consensus summi Pontificis, cujus examini acta sanctorum ab episcopis subiciebantur, accedebat, ut *Bened. XIV* multis exemplis probat l. 1, cap. 7 et seq., et tunc cultus particularis fiebat universalis; sicque non amplius simplex beatificatio, sed canonizatio æquipollens existebat. Ita canonizati fuerunt omnes Apostoli, multi martyres, ut SS. Stephanus, Laurentius, Xystus, Vincentius, Fabianus et Sebastianus, Joannes et Paulus, Gervasius et Protasius; plures confessores, v. g., SS. Sylvester, Antonius, Paulus eremita, Martinus, Nicolaüs, Gregorius Magnus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Maria Magdalena, Martha, etc.

4° A tempore Alexandri III, die 3 augusti 1181 defuncti, prohibitum est episcopis habere quemcumque pro sancto, etiamsi per eum miracula plurima fierent, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ, eunque publice venerari; *Decretal. l. 3, tit. 45, cap. 1. Bellarminus, Van-Espen, Mabillon, d'Achery* et alii plures censent hac decretali jus novum fuisse constitutum; alii vero plures, apud *Bened. XIV*, l. 1, cap. 10, n. 5 citati, contendunt jus novum ea lege non fuisse introductum, sed reservationem summo Pontifici factam esse multo antiquiorem, siquidem Pon-

tifex prohibitionem non exprimit, eam vero existentem supponit. Quidquid sit de illa controversia, certum est, fatente *Bened. XIV*, jurisdictionem episcoporum jure proprio beatificandi sine subjectione summi Pontificis auctoritati, usque ad tempora Alexandri III perstitisse, et ab eo tempore hoc ipsis interdictum fuisse, solique pontifici Romano ita reservatum, ut, sede Apostolica vacante, nec sacrum collegium nec concilium generale aliquem beatificare et canonizare valeat.

5° *Notandum* nomina martyris et confessoris olim promiscue sumpta fuisse, ita ut martyres dicerentur confessores. Verum mos invaluit ut inter hos et illos distinctio admittatur. Ii dicuntur martyres qui ob Dei honorem, vel violentam subierunt mortem, vel cruciatus lethales voluntarie perpessi sunt, vel a persecutoribus fidei varie vexati, in carcerem, in exilium missi, ærumnis confecti, usque in finem perseverantes, propter fidei aut aliarum virtutum supernaturalium confessionem, naturalem subierunt mortem; qui vero post laudabilem vitam sancte obierunt morte naturali, et in Albo sanctorum inscripti sunt, vocantur confessores, quatenus per virtutum exercitium fidem confessi sunt.

6° Urbanus VIII stricte prohibuit variis decretis, notanter diebus 18 mart. et 2 octobr. 1625, et Brevi diei 5 julii 1634, ne daretur initium causæ beatificationis cujuscumque servi Dei, nisi constaret nullum ipsi exhibitum esse cultum publicum, per imaginum depictionem cum aureolis et radiis gloriæ, per earum expositionem in ecclesiis vel oratoriis publicis aut privatis aliisve locis, per libros in ejus honorem confectos, etc., nisi summus Pontifex aliquem casum speciali concessione exceperit ob cultum immemorabilem vel aliam causam. Idem Pontifex expresse vetuit ne deinceps Cong. rit. in causis servorum Dei procederet ad effectum beatificationis aut canonizationis, aut declarationis martyrii, nisi quinquaginta annis ab illorum obitu elapsis. Aliquando tamen Sua Sanctitas permittit ut, non habita ratione quinquaginta annorum, ad informationem procedatur, ne tanta dilatione meliores pereant

probationes: processus autem perfecti sacræ rituum Cong. traduntur, eorum validitas tantum discutitur, postea per secretarium sigillo clauduntur, non aperiendi donec veniat plenitudo temporis quinquaginta annorum. *Ferraris*, v° *Veneratio*, n. 31.

7° Causa primo incipienda est ab ordinario loci in quo est corpus beatificandi vel canonizandi, vel in quo patrata dicuntur miracula ei attributa, vel ubi resident testes audiendi: nomine ordinarii intelliguntur episcopus institutus, licet non consecratus; vicarius generalis capitularis, sede vacante; vicarius Apostolicus ad gubernandam diocesim a sede Apostolica missus, et ii qui jurisdictionem quasi episcopalem habent; non autem vicarius generalis episcopi, nuntius Apostolicus, religiosi etiam superiores et abbates respectu servorum Dei suorum ordinum, ut ostendit *Bened. XIV*, l. 2, cap. 2, n. 9 et seq.

8° Ordinarii est instruere propria auctoritate processum de fama sanctitatis, virtutum, miraculorum aut prophetiarum alicujus servi Dei, cujus beatificatio desideratur, eumque ad sacram rituum Congreg. mittere; alter processus super non cultu, vel super casu excepto, juxta decretorum et Brevis Urbani VIII prohibitionem, omnino necessarius est antequam causa suscipiatur: instrui potest ab ordinario, qui si illum emisit, et sedes Apostolica commissionem ad illum faciendum alteri dedit, a jure suo penitus excidit. Forma hujusmodi processus iustruendi a *Bened. XIV*, l. 2, cap. 43, traditur.

9° Deinde instruendus est processus Apostolicus, ad quem delegatur cardinalis vicarius, si in urbe Roma sit faciendus; si extra urbem, tres deputantur episcopi, inter quos est is in cujus diœcesi procedendum est. Interrogantur testes, examinantur facta, omnia stricte ponderantur, ne quilibet irrepat error, et accurate scribuntur. Scripta originalia remanere debent in archivis episcopi diœcesani, vel apud cardinalem urbis vicarium, omnium fit scripturum exactissimum quod, innumeris characteribus authenticitatis munitum, ad sacrorum rituum Congregationem mittitur; in ea legitur, examinatur; suffragia cardinalium

et consultorum colliguntur, et decretum beatificationis instruitur. Summus Pontifex declarat suam esse voluntatem ad beatificationem procedendi, indicat preces fundendas ad opem divinam in re tanti momenti implorandam, et assignat diem quo de beatificatione sit pronuntiaturus, decretum Congregationis approbando. Publicatio hujus decreti olim fiebat sine ulla solemnitate, saltem in basilica Vaticana; at Alexander VII, advertens beatificationem esse canonizationem inchoatam, judicavit incongruum esse eam in ea non fieri basilica in qua facienda esset canonizatio, ac statuit ut deinceps omnia beatificationum decreta sub quibusdam precibus et cæremoniis in basilica Vaticana promulgarentur. Eo more promulgata est prima vice S. Francisci Salesii beatificatio, die 8 januarii 1662.

10° Nunc, ut ad solemnem servi Dei, sive confessoris, sive martyris, beatificationem deveniatur, necesse est ut, præter vitæ sanctitatem aut martyrium certe pro Christo perpassum, duo saltem bene probentur miracula; et etiam quatuor, ex decreto Benedicti XIV, diei 23 aprilis an. 1741, requiruntur, si per viam non cultus existentis procedatur.

11° Ad obtinendam canonizationem, prout fit hodie, novus instruendus est processus in quo duo saltem miracula intercessionem beati, post ipsius beatificationem, patrata optime comprobentur. Nullum igitur determinatur tempus necessarium inter beatificationem et canonizationem. Expectandum est donec Deus sanctitatem servi sui per nova miracula iterum manifestaverit, et tunc postulatorem causæ preces porrigere possunt sacrorum rituum Congregationi pro *signatura commissionis re-assumptionis* et expeditione *litterarum remissorialium*, ut super novis prædictis miraculis Apostolica auctoritate instruantur processus. Instructis processibus summa cum vigilantia, et ad urbem missis, eorum fit traditio, aperiitio et interpretatio juxta regulas statutas, ut omnis error ex fraude vel ex inadvertentia proveniens sit impossibilis. Judicio super validitate actuum completo, miracula in eis relata in tri-

plici congregatione examinantur, in antepreparatoria, in preparatoria et in generali coram summo Pontifice habita, in qua discutitur dubium *an, stante approbatione miraculorum, tuto deveniri possit ad canonizationem*; colliguntur suffragia cardinalium et consultorum, auditur plena et distincta relatio de omnibus quæ ante et post beatificationem contigerunt, et summus Pontifex, declarationem suam differens, præscribit preces ut divinum impleretur adjutorium. Postea emittit decretum quo pronuntiat tuto procedi posse ad canonizationem.

12° Edito decreto de tuto ad canonizationem progressu, summus Pontifex expectare solet ut novæ populorum, principum ac regum petitiones ad se dirigantur, et tunc primum indicat consistorium secretum, cui soli interveniunt cardinales; quæritur an deveniendum sit ad solemnem canonizationem, nec ne; singuli cardinales sententias suas aperiunt per verbum *placet* aut *non placet*. Si sententia sit quod ad canonizationem tuto procedi possit, solemne indicatur consistorium ad quod advocantur omnes cardinales, antiquiores episcoporum assistentium et non assistentium, protonotariorum, auditorum Romæ, clericorum cameræ Apostolicæ, votantium signaturæ justitiæ, abbreviatorum, advocatorum consistorialium, etc. In eo omnibus patet aditus: audiuntur orationes advocati consistorialis et promotoris fidei; prior loquitur pro canonizatione, et posterior contra. Deinde emittitur a præsule qui est a secretis Brevium, ad principes, summi Pontificis responsio, qua declaratur Suam Sanctitatem omnes hortari ut jejunis ac precibus divinum implerent auxilium in re tanti momenti; et insuper ipsam velle in proximo consistorio audire sententiam omnium cardinalium et episcoporum.

Tertium postea indicatur consistorium ad quod vocantur omnes cardinales omnesque episcopi Romæ tunc degentes, et in ipsa convocazione monentur super canonizationem talis beati sententiam ferendam esse scriptam ac subscriptam: compendium vitæ et miraculorum canonizandi et totius causæ unicuique datur, ut omnes tempus

habeant serius cogitandi quo sensu suffragari debeant. Summus Pontifex primum cardinales et episcopos alloquitur; sententias eorum exquirat, et suffragiis datis, eosdem iterum alloquitur, se eorum aliorumque precibus commendat et indicat quo die ad solemnem canonizationem procedere velit. Die indicato maxima celebratur solemnitas in basilica Vaticana; recitantur litanie, cantatur *Veni Creator*. Advocatus consistorialis ter publice petit ut summus Pontifex iudicet ac definiat talem beatum (vel tales beatos, nam plures simul canonizari possunt) catalogo sanctorum adscribendum esse. Summus Pontifex fert sententiam, canitur hymnus *Te Deum laudamus*, postea missa sollemnis; deinde Pontifex maximus, facta commemoratione beati canonizati, dat absolutionem et benedicit populo.

13<sup>o</sup> Multae communiter faciendae sunt expensae ut ad canonizationem perveniatur, nempe ad informationes obtinendas, processus instruendos, testes advocandos vel mittendos, ad sumptus pro itineribus faciendis solvendos, ad mercedem postulatoris, procuratoris, advocati, medici, scripturarum excussoris, promotoris fidei: pro solutione sacrario basilicae S. Petri faciendae, pro strenis quae nonnullis officialibus curiae Romanae solvuntur; pro magnifico basilicae Vaticanae apparatu; pro vestibus pontificalibus pretiosis summo Pontifici offerendis, ut mos est, etc.

§ II. — De cultu servus Dei et beatificatis exhibendo.

1<sup>o</sup> *Notandum* triplicem distingui cultum, privatum scilicet, publicum et solemnem. Cultus privatus ille est qui fit a persona privata, loco et modo privato: publicus, qui fit coram aliis et in loco publico, sed a persona privata ob causam particularem; et sollemnis qui ab Ecclesia fuit institutus, habet quasdam caeremonias ab ipsa determinatas et fit in Dei vel sanctorum honorem publice vel in particulari. Communius auctores hunc cultum ab Ecclesia sic determinatum vocant publicum; alium vero, quoquo modo fiat, appellant privatum; eo sensu utrumque hic sumpturi sumus.

2<sup>o</sup> *Bened. XIV*, cum innumeris doctoribus, tenet, l. 2, cap. 7, n. 4, et seq., licitum esse cultum privatum exhibere servis Dei etiam adhuc viventibus, v. g., eos invisere, ante eos procidere, pedes eorum deosculari, benedictionem ab eis petere, precibus eorum se commendare, etc. *A fortiori* eos post obitum privato cultu honorare licet, quando creduntur regnare in caelis, et pie aestimari potest eosdem pro nobis intercessores esse apud Deum, sive hoc in secreto fiat, sive coram aliis, etiam in loco publico, et per actus externos ad cultum publicum pertinentes, sed absque intentione cultum ab Ecclesia determinatum exhibendi. Sic ex *Bened. XV*, l. 2, cap. 12, n. 9, ad cultum privatum pertinere censentur extraordinarius populorum concursus in funere servi Dei cum opinione sanctitatis defuncti, cadaveris delatio super humeros magnatum, accessus ad deosculandos manus et pedes, vestimentorum direptio, picturae praecleara illius gesta representantes parietibus affixae, candelae coram illis ardentes, orationes funebres, visitatio tumuli, oratio ad defunctum ut pro nobis ante Deum intercedat, etc.

3<sup>o</sup> Prohibetur vero omnis cultus publicus, id est, nomine Ecclesiae exhibitus, vel tanquam ab Ecclesia institutus, sive publice, sive privatim fiat, sive in ecclesia, sive in saello domestico aliove loco privato: ad hanc cultus speciem, erga servos Dei prohibitam, revocantur altarium in eorum honorem erectio, illorum commemoratio in divinis officiiis, officium sive proprium sive de communi, missae celebratio, illorum invocatio in litaniiis ab Ecclesia approbata vel consuetis, cellarum, habitaculorum vel aedium in quibus nati sunt, conversio in aedulas sacras vel ecclesias, picturae cum aureola gloriae et radiis luminis, etc.

4<sup>o</sup> Urbanus VIII, multis abusibus occurrere volens, statuit, decretis diei 13 martii 1525 et diei 2 octobris ejusdem anni, ac constitutione *Caelestis Jerusalem*, diei 5 junii 1634, ne deinceps quorumvis hominum cum sanctitatis aut martyrii fama defunctorum tabellae, imagines, lampades, luminaria, figurae ex cera, argento, aere vel ex alia quacumque materia, aliave signa sanctitatem. miracula

aut prophetias eorum attestantia, exponerentur in ecclesiis vel oratoriis publicis aut privatis aut recognitionem ordinarii a sede Apostolica probatam. Permisit tamen ecclesiasticis viris tabellas, imagines aliaque fidem facientia quamdam gratiam ope alicujus servi Dei obtentam fuisse sibi oblata suscipere, cum eorum qui facti exstissent conscii attestationibus, modo ea ad ordinarios statim deferrent, approbationes illorum obtinerent, atque hæc sanctitatis indicia, cum ordinariorum approbationibus, in loco secreto ab ecclesia distincto collocarent ac custodirent, « ut si quando Dominus talium virorum merita beatificationis seu canonizationis honore in terris decorare » voluisset, exstarent hujusmodi sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ sedis judicio examinandæ. » Sunt ipsamet dicti Pontificis verba.

5° Decretum beatificationis alicujus hominis, cum fama sanctitatis aut martyrii defuncti, permittit ut cultus publicus ei exhibeatur, sed intra limites determinatos, sive quoad actus permisos, sive quoad loca, sive quoad personas, v. g., in tali ordine religioso. Limites ita decreto beatificationis assignatos prætergredi non licet ne quidem ex auctoritate episcopi, ut manifestum est. Longum decretum S. R. Cong. diei 27 sept. 1659, ab Alexandro VII approbatum, enumerat honores qui beatificatis exhiberi non possunt. *Gardell.* n° 1855.

6° Consuetudo immemorabilis, vel, ex decreto citato, centum annorum, S. Pontifici aut locorum ordinariis nota, quosdam venerandi sanctos in particularibus ecclesiis vel regionibus, beatificationi æquivalet, et cultus illis exhiberi solitus nulla lege est prohibitus: in decretis et constitutionibus quibus beatificatio et canonizatio sanctorum sedi Apostolicæ reservatæ sunt, semper fuit exceptus; sed ad alias ecclesias vel regiones extendi non posset inconsulta sacrorum rituum Cong. et absque summi Pontificis concessionem. Cuncti honores erga servos Dei prohibiti, prohibentur etiam erga beatificatos in locis non permissis.

7° E contra, sancti aliquo ex modis ab Ecclesia appro-

batis vere canonizati, ubique cultu publico honorari possunt; id est, altaria et templa in eorum memoriam per totum orbem erigi possunt; ipsi assumi in patronos; imagines eorum cum radiis et diademate seu circulo depingi ac in ecclesiis publice exponi, cum episcopi approbatione, similiter et eorum reliquiæ. In publicis Ecclesiæ precibus nominari et invocari possunt, non tamen eo ipso officium, sive proprium, sive de communi et missam in honorem eorumdem celebrare licet, nisi speciale intercesserit Romani Pontificis decretum a bulla canonizationis distinctum, juxta *Bened. XIV*, de Canoniz. l. 1, cap. 38, n. 3 et 4, neque nomina eorum in litanis ab episcopo inseri queunt, secundum eundem Pontificem, de Canoniz. l. 4, part. 2, cap. 20, n. 3. Hæc tamen vim non videntur habere ubi Breviarium Romanum non viget, nec constitutio S. Pii V fuit accepta, et episcopi jus divinum officium ordinandi servarunt.

Si soli jure proprio in Martyrologio Romano inscribi possunt, qui ab ultima editione fuerunt canonizati, vel reperti sunt ut vere canonizati, et huc usque prætermitti, in novis editionibus inscribendi sunt. Beatificati vero, sive beatificatione formali, sive beatificatione æquipollenti, in eo describi nequeunt, nisi ex speciali sacræ Cong. rituum concessionem, ut docet *Bened. XIV*, l. 4, 2<sup>a</sup> part., cap. 18, n. 12 et seq.

Ubi tamen publica fit Martyrologii lectio, nomina beatorum, in locis in quibus cultus eorum ex consuetudine immemorabili vel ex decreto est licitus, legi possunt cum laude, et idcirco in ecclesiis et communitatibus hujusmodi locorum fit supplementum ad Martyrologium Romanum.

Hinc *Bened. XIV*, concludit lectionem Martyrologii in choro non stricte pertinere ad illum cultum publicum, qui nomine Ecclesiæ universalis exhibetur, sed nomina eorum qui in illo describuntur cum elogio pronuntiantur, ut audientes excitentur ad imitationem, et ad reddendum eis cultum quem disciplina ecclesiastica permittit.



§ III. — De conditionibus requisitis ut reliquiæ sanctorum cultu publico venerari possint.

1° Per reliquias sanctorum et beatorum intelliguntur eorum corpora et corporis partes etiam minimæ, nempe caput, manus, digiti, dentes, ossa, capilli, cineres, pulveres, insuper et eorum vestes, panni, vela quibus in vita usi sunt, vel quibus eorum corpora vel corporis partes post mortem fuerunt involuta; instrumenta pœnarum et mortificationum quibus utebantur, et alia hujusmodi, ut scripta, etc.

2<sup>a</sup> Probavimus in Tractatu *de Incarnatione*, reliquias sanctorum cultu relativo dulciæ honorari posse; illorum autem cultus potest esse privatus vel publicus, eodem modo ac cultus personarum ad quas referuntur. Unde reliquiæ servorum Dei solo cultu privato dignæ sunt; reliquiæ beatorum, cultu publico, sed limitato; et reliquiæ sanctorum canonizatorum, cultu publico illimitato. Reliquiæ sanctorum in catacumbis inventorum, qui vulgo dicuntur *baptizati*, venerationi fidelium publice exponi possunt, si ab episcopo fuerint recognitæ cum licentiâ eas exponendi, sed absque officio et missa. *Gardell.* n. 3097 et 3157.

3° Reliquiæ noviter inventæ aut productæ cultu publico venerari non possunt, nisi ad beatos aut sanctos canonizatos pertineant, et a Papa vel ab episcopo recognitæ et approbatæ fuerint, ut patet ex *Decretal.*, l. 3, art 45, cap. 2, et ex concil. *Trid.*, sess. 25, de Invocatione, et reliquiis sanctorum, statuente « nulla admittenda esse » nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi » recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque » de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in concilio theologis et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et » pietati consentanea judicaverit. » Si ad servos Dei, neque canonizatos, neque beatificatos, pertinerent, a Papa vel a Congregatione indulgentiarum recognosci deberent ut eas cultu publico venerari liceret; sic docent *Benedic-*

*tus XIV*, *Ferraris* aliique theologi, eo sensu caput *Decretalium* superius citatum interpretantes.

4° Quæ a Papa fuerunt approbatæ, non ideo publicæ venerationi exponi possunt etiam in ecclesiis regularium, nisi prius episcopo fuerint præsentatæ et ab illo recognitæ ut authenticæ. Ita fuit decisum a Cong. rituum diebus 26 junii 1627 et 19 oct. 1691, idque decreto concilii *Trid.* optime congruit. Episcopus autem, visis litteris et sigillis, eas esse authenticas testatur, ac venerationi fidelium in sua diœcesi vel in aliqua ecclesia exponendas permittit. Vide *Gardellini*, n. 4392 ad 8<sup>um</sup>, notam.

Partes ex hujusmodi reliquiis extrahere, in thecis collocare, sigillare potest, testari per scriptum eodem sigillo munitum eas de locis authenticis fuisse extractas et venerationi fidelium exponi permittere. Reliquiæ sigillis alicujus episcopi munitæ in aliena diœcesi cultu publico honorari non possunt, quin prius ab ordinario loci recognitæ fuerint. Reliquiæ a superiore regularium recognitæ, litteris authenticis et sigillo munitæ, non ideo exponi possunt etiam in propria regularium ecclesia, donec ab episcopo fuerint approbatæ et sigillo ejus obsignatæ. In recognoscendo hujusmodi reliquias, in eas extrahendo et in alias thecas transferendo, episcopi non tenentur theologos et alios pios viros concilio *Trid.* præscriptos sibi adjungere, sed tantum ubi agitur de reliquiis noviter inventis sanctorum canonizatorum vel beatificatorum, ut explicant communiter doctores; et si quoddam circa id emerit grave dubium, nihil novum vel in Ecclesia inusitatum inconsulto summo Pontifice decernere possunt, ut in fine decreti concilii *Trid.* habetur.

Notat *Ferraris*, v° *Veneratio Sanct.*, n. 161, antiquas reliquias habendas esse in ea veneratione, in qua hactenus fuerunt, quod intelligendum est si adhuc existat sigillum episcopale, aut saltem testimonium unius personæ fide dignissimæ, quæ declaret cum juramento se olim vidisse reliquiam habitam ut authenticam et identitatem ejus perfecte agnoscere.

5° Corpora et insignes reliquiæ sanctorum vel beato-